

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ioannis Meisneri, S.S. Theol. Doct. Te Prof. Pvbl. In
Academia Vitembergensi Theologia Natvralis**

**Meisner, Johann
Vitembergae, MDCCVI.**

VD18 90851714

[Quaest. I, An Sit Cognitio De Deo Naturalis?]

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission requests please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219527)

I.



Tſi Deus immortalis, inde a principio. & iſſis huius univerſitatis primordiis, aperte ac perſpicue ſeſe revelavit, & cum naturam ſuam, eſſentiam ac voluntatem, tum omnia, quæ nobis ſcitu ac creditu ad ſalutem neceſſaria ſunt, in

verbo ſuo per Prophetas & Apoſtolos inculcavit, nihil uti ad ejus perfectionem, quantum quidem in hac imbecillitate opus eſt, addi ulterius poſſit; Ipſe ille tamen præterea naturæ lumen mentibus noſtris in ipſo ortu noſtro inſeruit, ut ejus beneficio multa de ipſo ac aliis rebus naturaliter cognoscamus. Hoc enim eſt, quod Apoſtolus, non tantum, quod Deus ſit, ſed etiam inviſibilia ejus, hoc eſt, æternam potentiam, gloriam & incorruptibilitatem, naturæ ductu inveſtigari, & ex eo ſciedam ethnicorum idololatriam redargui poſſe, aſſerit, ita, ut propterea, ethnicos inexcufabiles futuros, dicat, nihilque habere amplius, quod ignorantie ac impietati ſuæ prætereſtere poſſent, qui, cum, Deum aliquem eſſe cognocerent, ipſum tamen non ut Deum, & ut ejus majeſtate dignum erat, coluerunt. Donum proſecto, quo nullum inſignius poſt cœleſtia oracula humano generi obtiſſe, omnes omnibus ſeculis docti judicarunt, ad quod non ducit, ſed rapit nos natura noſtra,

QUÆST. I, AN SIT COGNITIO

& cui nemo recte natus rationeque ac intelligentia præditus unquam se subducere potuit magis, quam ipsi universi orbis hujus theatro.

II. Dicitur communiter *Notitia naturalis*, ex concreata primitus parentibus nostris, sed deinceps turpiter amissa, imagine DEI, cujus illa vestigia & rudera quædam continet residua, unde & reliquæ imaginis divinæ a Theologis, a Jureconsultis vero lex, seu jus naturæ, & a Philosophis νοιναι ἐννοια, principia & axiomata nobiscum nata, itemque διασπον ἐμψυχον appellari solet. Naturalis autem non tam inchoative, quod potentia & aptitudo quædam naturalis sit, quæ per discursum ex creaturarum consideratione haustum se exerat, ut postea ostendimus; quam originaliter & inhæsiue, quod non ex peculiari a DEO facta revelatione, sed ex ipsa natura, tanquam propinqua causa proficiscatur, hominique quamprimum in hanc lucem editur, insit, ac per ipsum postea naturaliter in posteros propagetur, sicut naturale homini est, videre, ridere, intellectum ac voluntatem aliaque similia habere, quo respectu etiam lex naturæ innata & cordibus inscripta ab Apostolo dicitur.

III. Multa vero tam theoretica, quam practica, ad notitias istas pertinent: & Theoretica quidem, quod Deus sit, quod sit unus, justus, æternus, omnipotens, incorruptibilis, sapientissimus, qui omnia, quæ nos gerimus, audiat ac videat,

deat, item quodlibet est, aut non est, totum est majus sua parte, & similia; Practica vero, Deum esse colendum, parentes honorandos, neminem lædendum, suum cuique tribuendum, & id genus alia. Nos tamen, omiſſis cæteris, ea saltem, quæ de Deo ejusque cognitione ex natura erui ac deduci possunt, pertractabimus, cum pars illa notitiarum naturalium sit omnium præcipua & nobilissima, ex qua reliquæ, tanquam ex fonte quodam perenni, sponte emanant: nam, si, Deum esse, non credas, qui sit vindex scelerum, ac remunerator recte factorum, quomodo aut eum recte colas, aut ab injuria proximi abſtineas? Unde, hac doctrina recte ac legitime tradita, quid de cæteris sit sentiendum, proclive erit deducere.

IV. *Tres autem in universum Quaestiones de ea proponemus.* Ac primo quidem τὸ ὅτι, seu *Annotitia de Deo naturalis detur*, ostendemus. Deinde τὸ τί ἐστίν, *Quid illa sit*, ac denique τὸ πῶς, καὶ τὸ διότι, *Quæ & Qualis sit, & quousque homo ejus beneficio pertingere queat*, considerabimus. Cognoscendum enim est ante omnia, an res sit, de qua disputatur, priusquam de reliquis aliquid aggrediamur.

V. Neque tamen nunc ea argumenta afferemus, quæ ex verbo Dei & revelatione Prophetis & Apostolis facta hauriuntur, quæque a Theologis adducta jam sunt, & in libris eorum hodieque passim leguntur. Etsi enim Scriptura sacra non ea tantum dogmata pandat, quæ na-

turali rationi impervia sunt, & per peculiarem gratiam DEI ac Spiritu sancti nobis innotescunt, qualia sunt omnia mysteria fidei de Trinitate personarum in divinis, de mysterio incarnationis, & quæ ex iis pendet, æterna nostra salute, sed ea etiam, quæ naturaliter de Deo cognoscuntur, & ex principiis naturaliter notis erui alias possunt; etsi item longe certior & exquisitior DEI & rerum divinarum notitia sit, quæ ex verbo DEI, quam quæ naturæ ductu paratur, quod illa ex lumine revelationis longe eminentiori ac nobiliori, quam lumen rationis est, oriatur, non tamen ideo limites scientiarum movendi, aut objecta ac principia diversarum disciplinarum confundenda sunt, præcipue cum contra infideles, aut alios impios & atheos est disputandum, qui nec verbum DEI, nec, quæ hoc nritur, revelationem divinitus factam, amplectuntur. Unde & a primis Ecclesiæ seculis præsci illi Christianæ fidei antistites ac ὑπερασπισταί, S. Irenæus, omnium ferme antiquissimus Ecclesiæ Doctor, toto lib. 1, contra hæreses, Justinus martyr Apolog. 11, ad Antoninum Pium, Athenagoras itidem Apologia, quam ille legationem pro Christianis susceptam vocat, Tertullianus, Lactantius, Theodoretus, Augustinus, & alii, ex ipsorum ethnicorum scriptis impietatem & idololatriam gentilium, cum magno nascentis Ecclesiæ commodo, profligarunt. Et, quamvis plerique eorum mox alia ex libris prophetarum deprom-

pta

pta subjungerent, id tamen ideo factum non est, quod argumenta naturalia vel non vera, vel paris prorsus auctoritatis esse cum Scriptura sacra, aut verbum DEi dogmata omnia & credenda sufficienter non complecti, statuerent, sed, ut eo facilius expugnarent, quorum errores utroque illo ariete impeterent. Nec fieri aliter tum poterat, quippe quibus propositum erat, non tantum paganismi absurditatem demonstrare, aut doctrinam de Deo inculcare, ut scibile quid, sed & ut credibile & articulum fidei, per quem fides in animis auditorum accenderetur, quod ex solo Dei verbo fieri potest. Fides enim eorum est quæ creduntur, non propter ullam demonstrationem, sed propter auctoritatem Dei dicentis, qui mentiri non potest; quæ autem ex natura petuntur, aut alias exactis & accuratis demonstrationibus nituntur, non fidem, sed scientiam, gi-gnunt, nec articuli fidei proprie sunt, sed articulo-rum illorum quædam quasi primordia, seu, ut S. Thomas p. 1, q. 11, art. 11, ait: *Deum esse, & alia huiusmodi, quæ per rationem naturalem nota pos-sunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos.* Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet, subjungit, illud, quod secundum se demon-strabile est & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit. Nos autem, quia nec de revelatione proprie dicta nunc agimus, nec, unde aut quomodo Deus fidem peculiariter in ani-

ani-

animos fidelium impluat, ostendimus, igitur ne metas nobis propositas excedamus, ea saltem argumenta, quæ ex naturali lumine depromuntur, & bonam partem a Philophis gentilibus excogitata sunt, in medium adducemus, cætera, quæ ex verbo Dei, aut ex reliquiis imaginis Dei, petuntur sublimiori disciplinæ relinquentes.

VI. Atque, ut ad rem ipsam ac primam Quæstionem accedam, *Verum, Deum esse, ope luminis naturalis investigari ac cognosci possit?* digna ea est, & cum primis necessaria, ut paulo accuratius explicetur, præcipue cum non olim tantum de ea disputatum sit, & in partes itum, sed nec hodie quidem inter omnes usque adeo conveniat, quin vel tota quæstio, vel saltem magna ejus pars, negetur. Sane jam olim Plato minus recte hæc explicavit. Etsi enim ille notitiam Dei naturalem recte astrueret, in eo tamen erravit, quod, non Dei duntaxat, sed omnium omnino rerum, cognitionem homini innasci, censeret, eam autem delitescere, & quasi oblivione sopiri, cum nascimur, deinde successu temporis ex profundo somno reviviscere, unde &, cum aliquid discimus, nos non simpliciter discere, sed recordari potius, nec novam acquirere scientiam, sed ante habitæ reminisci, totam denique cognitionem nostram nihil aliud, quam reminiscentiam, esse, uti id ex ipsius Platonis scriptis, præcipue Phædone, Menone, & lib. X, de Republ. Alcino lib. de doctrina Platon. cap. IV. Proclo comm. in Alcibiad. Platon. de an. & dæmon.

mon. Marsil. Ficino comm. in Platon. orat. VI, cap. XIII, Caelio Rhodig. lib. X, antiq. lection. cap. XVI, & lib. XX, cap. IX, constar. Cui opinioni stabiliendæ, Plato novam hypothesein ex Pythagoræ schola jact, de animarum creatione ac μετεμψυχώσει, qua in re deceptus est summus Philosophus, dum, animam cœlitus in hoc corpus deferri, eique tanquam carceri ad tempus includi, existimavit, ac postea migrare de corporibus vetustate ac morte confectis, & insinuare se novis ac recens natis, & easdem semper renasci, modo in homine, modo in pecude, modo in bestia, modo in volucre, quemadmodum & ipsius, & affectarum, sententiam Lactant. lib. VII, Divin. Instit. cap. XII, extr. describit, Hunc præceptoris sui errorem Aristoteles quidem recte confutavit, uti pleraque Platonis solet, sed, dum, omnium rerum intelligentiam homini ingentam esse, recte negat, ipse imprudens in contrarium errorem prolapsus videtur, & hominem nullarum rerum, cum nascitur, cognitionem asserre, existimavit, sed intellectum nudæ tabulæ instar habere, cui nihil dum inscriptum sit, inscribitamen quidvis possit, ubi ætas provehitur, unde & lib. III, de an. cap. IV, ait: Δυνάμει πῶς ἐστὶ τὰ νοητὰ ὁ τῶς. ἀλλ' ἐντελεχεία ἔδδεν, πρὶν αὖ μὴ νοεῖ. Δεῖ δ' ὅτως, ὥς περ ἐν γραμματεῖ, ὃ μὴδὲν ὑπάρχει ἐντελεχεία γὰρ γραμμένον, ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τῷ τῷ. *Intellectus potentia quodammodo ipsa intelligibilia est, actu vero ni-*

A 5

bil

bil est eorum, anteaquam intelligat ipsa. Oportet autem in ipso nihil esse, perinde, atque in tabula nihil est actu scriptum antea, quam in ipsa scribatur: hoc enim in ipso fit atque accidit in intellectu. Sed dum præceptorem discipulus reprehendit, ipse in eodem luto hæret: Si enim nihil in intellectu est, sed omnium rerum notitia sensu aut experientia acquiritur, certe nec principia omnium prima, nec ipsa lex naturæ cordibus hominum inscripta erit, vel, si inscripta est, ut equidem prorsus credo, aliquid saltem in intellectu fuerit. Quare, uti non omnia a nativitate statim cognoscimus, ita nec rursus omnia ignoramus, ut id suo loco probabimus.

VII. Cæterum, longe pejora, si non & absurdiora, alii nonnulli ex Christianis docuerunt: certe intolerabilis prorsus est, impietasne dicam, an nequitia, Petri de Alliaco in I, dist. III, q. III, Joh. de Bassolis in I, dist. II, q. I, art. III, & dist. III, q. I, art. III, Majoris dist. III, q. I, Casparis Cassalii lib. I, de quadripartita iustitia, ita totam Dei notitiam interpolantium, ut, ne quidem a posteriori demonstrari posse, dicant, ut Bellarm. lib. IV, de grat. & lib. arb. cap. II, Greg. de Valent. T. I, Disp. I, in Thom. quæst. II, punct. II, Tanner. Disp. II, q. I, dub. III, Pesant. in I, part. Thom. quæst. II, art. II, disp. I, agnoscunt: Suarez etiam, T. I, in Thom. l. I, de div. essent. c. I, n. 15, modernos sentire, ait, *posse veritatem banc, quod Deus sit, ex creaturis multum suaderi,*

6

Et cum magna probabilitate, etiamsi evidentem assensum non præbeat, quia illa persuasio est satiu, ut sint inexcusabiles, qui non assentiuntur, vel Deum non glorificant, ut verum Deum. Hæc ita illi, digni profecto, qui ethnicis aut paganis accensentur, certe ipsis paganis stupidiores, qui ea negant, quæ nec Aristoteles, nec quisquam alius saniorum gentilium unquam in dubium vocavit, idque tam certum est, ut ex Pontificiis doctissimi quique eorum sententiam, ut erroneam, temerariam, & gravi censura dignam, traducant: quare operæ pretium non est, in iis refutandis diu immorari, præcipue, cum nullas aliclas & patronos invenerint, nisi, quod novi in Polonia & Transylvania Samosateniani idem nunc asserant, qui, uti pleraque alia, recte jam pridem tradita, de industria labefactarunt, ut nihil ferme, præter appellationem, cum Christianis commune habeant, ita nec hanc partem ita approbare potuerunt, quin totam propemodum, quantum in ipsis fuit, una litura inducerent, & sua ei placita substituerent. Audiantur nunc duo tantum eximii ipsorum Doctores Faustus Socinus, & Christophorus Ostorodus. Et Socinus quidem, in prælect. Theol. cap. 11, expresse scribit: *Recepta hodie sententia est, homini naturaliter ejusque animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur, quæque humanarum rerum in primis curam gerat, hominibus consulat atque prospiciat.*

Et

Et hanc sententiam ille falsam esse dicit. Ostro-
 rodus vero adhuc apertius, in Institut. germ.
 cap. 1, p. 10. Wir wollen von dem auch etwas
 sagen/ ob es auch war sey/ daß der Mensch von
 Natur so weyse gewesen/ und noch ist sey/ daß er
 auß der blossen Betrachtung der Schöpfung/
 Gott vnd seinen Willen/ ohne sonderliche göttli-
 che Offenbahrung hab erkennen können? Wir
 halten es dafür/ daß es falsch sey. Et paulo post:
 Daß aber die Menschen von Gott/ oder von der
 Gottheit/ etwas wissen/ daß haben sie nicht von
 Natur/ noch auß der Betrachtung der Schöpf-
 ung/ sondern von hören sagen/ sintemahl sich
 Gott von anfang den Menschen offenbahret hat.
 Zu welcher Gehör aber solches nicht gekommen ist/
 die haben leichtlich wol gar keine opinion oder Ge-
 dancken von irgend einer Gottheit/ wie zu ersehen
 an etlichen Völkern in new India/ und anders-
 wo mehr. Vnd zwar wan die Erkenntnis Got-
 tes natürlich were/ so hetten sie alle Menschen.
 Daß aber solches falsch sey/ kan man zum wenig-
 sten daher mercken/ daß ihrer viel nicht allein unter
 den Idioten/ sondern auch unter den Gelehrten alle
 wege gefunden/ welche nicht gegleubet/ daß Gott
 sey/ oder daß er für die Menschen sorge/ welches
 auch etliche Philosophi etwan sich nicht geschewet
 haben/ öffentlich zu lehren. Pulchre omnia, uti
 solent, nec potuerunt illi homines (si tamen ho-
 mines, & non potius hominum monstra ac pro-
 digia sunt, ipsis ethnicis impuriora) præclarius
 docu-

docu-
 essen
 nem
 apu
 Pro
 Ecc
 cell
 Syst
 V
 uti
 hac
 cet
 bi h
 stra
 quia
 Deu
 ex
 scer
 ne
 niq
 stru
 Et
 spir
 pro
 quia
 qua
 ran
 n, a
 Gr
 lina

documentum dare, quo cognosceretur, quam essent ab omni prorsus ratione alieni, & pepo- nem pro corde gererent. Horum argumenta apud Reverendissimum Selandiæ Episcopum & Prof. Regium Dn. BROCHMANNUM, de Ecclesiis Lutheranis, ac præsertim Danicis, excellentissime meritum Theologum, Artic. III, System. Theol. cap. II, quæst. I, videantur.

VIII. Sed nec reliqui longe ab his discrepant, uti patebit, si attendantur ea, quæ Scholastici hac de re, & præsertim Thomas Aquinas, docet: nam part. I. Summæ, quæst. II, art. II, cum si- bi hanc quæstionem, *utrum Deum esse sit demon- strabile*, examinandam proposuisset, respondet quidem ad 3, *ex effectibus Dei posse demonstrari, Deum esse*, quod vero idem quoque a priori & ex ipsa natura notum sit, non videtur agno- scere, unde & non aliter, quam ex motu, ratio- ne causæ efficientis, possibili & necessario, de- nique rerum gradibus & gubernatione, id a- struit, quæ probationes omnes sunt a posteriori. Et hanc sententiam plerique omnes, quasi con- spiratione facta, hodie tuentur, nisi, ubi Scotus, pro more suo, ab iis dissentit. Et Thomam quidem sequuntur Richardus I, dist. III, art. I, quæst. II, Hervæus, ead. dist. III, quæst. II, Du- rand. dist. III, quæst. III, Capreol. dist. II, quæst. II, art. II, Ferrar. I, contra gentes cap. X, & XI, Greg. de Valent. quæst. II, punct. I, Ludov. Mo- lina, art. II, Suarez T. II, Metaph. Disp. XXIX, seæ.

fest. III, Vasquez Disp. XIX. Cajetan. Bannes, Tannerus, Pefantius, & omnes Thomistæ hic quæst. II, art. II.

IX. Idem Thomas, cum art. I, multis disse-
ruiſet, *Utrum, Deum esse, sit per se notum?* ita ad
quæſtionem tandem respondet, ut dicat, pro-
positionem illam, *Deus est*, per se notam esse ab-
ſolute, non per se notam nobis. Subjungit au-
tem propositionem, per se notam esse eam, *ubi*
prædicatum includitur in ratione subjeſti, ut, homo
est animal; nam animal esse de ratione hominis.
In qua definitione Scotus id reprehendit, quod
multæ sint propositiones per se notæ, ut, nix est
alba, homo non est leo, calor non est frigidus,
in quibus prædicatum non sit de intrinseca ra-
tione seu, essentia subjeſti. Ad hæc interpre-
tes, ut magiſtrum tueantur, varie solent respon-
dere. Nonnulli igitur, illud, *includi in ratione*
subjeſti, seu, *esse de essentia subjeſti*, aliquando
notare prædicatum essentiale, dicunt, sicut ani-
mal est de essentia hominis; aliquando id, quod
fluit ab essentia subjeſti, ut sunt proprietates &
passiones, quæ immediate ab ea derivantur, id-
eoque & de primo, & adæquato suo subjeſto
per se prædicantur: Thomam itaque utramque
significationem compleſti. Sed Gregorius de
Valentia, ubi supra, non tradidisse ibi definitio-
nem propositionis per se notæ D. Thomam,
asserit, nec dixisse unquam, aut sentire, solam
talem esse per se notam, sed voluisse saltem pro-
ponere

ponere exemplum propositionis per se notæ, quod esset maxime ad illius institutum, alias concedere se, eam latius patere, cum & eæ propositiones, quæ experientia innotescunt, sint per se notæ: omnem quidem propositionem, in qua prædicatum est de ratione subiecti, esse per se notam, sed non contra. Et hoc modo quoque S. Thomæ sententiam a Capreolo in 1, dist. 11, quæst. 11, art. 11. Ferrar. l. 1, contra gentes, capp. x, & xi. Cajet. quæst. 11, art. 1, Vasq. Disp. ix, n. 6, aliisque recentioribus, explicari, Tannerus ait, qui ipse tamen aliam ejus explicationem ex Hervæo, dist. 11, quæst. 11, Durand. quæst. 11, n. 4, Capreolo, art. 1, & Suarez, assert, hoc enim non sufficere ad propositionem per se notam, sed requiri, ut sit prima & immediata, hoc est, ut alia demonstratione opus non habeat, nec ex aliis, sed suis terminis innotescat. Si quæ enim per aliud medium demonstrabilis sit, jam eo ipso non esse primam, immediatam, & per se notam, sed per medium demonstrationis, unde & in alias, se priores, propositiones resolvitur possit. Atque ita explicatam per se notam propositionem eandem esse, quam Aristoteles, lib. 1, post. anal. cap. 11, dicit immediatam, quæ non est alia prior, eamque huic conformem Ant. Ruvio, in lib. 1, post. anal. cap. 11, quæst. 11, n. 17, ostendit. Eam enim propositionem, cuius prædicatum includitur in ratione intrinseca subiecti, non habere medium, per quod possit

possit demonstrari.

X. Hanc propositionem vero, per se notam & immediatam, eo modo traditam, rursus Thomas dividit in eam, quæ talis est secundum se, non quoad nos; & aliam, quæ est secundum se, & quoad nos. *Si notum sit omnibus de predicato & de subiecto, quid sit, Propositio illa erit omnibus per se nota, sicut patet in primis demonstrationum principia, quorum termini sunt quadam communia, quæ nullus ignorat, ut ens & non ens, totum & pars, & similia. Si autem apud aliquos notum non sit de predicato & subiecto, quid sit, propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos, qui predicatum & subiectum propositionis ignorant, inquit Thomas, ubi supra. Hoc vult dicere, propositionem per se notam quoad nos esse, cum de terminis, per quos solos ea innotescit, omnibus constet, quales isti, totum & pars, ens & non ens, quorum notitiam effugere nemo queat; per se notam vero absolute, quæ etsi ex se sine ullo alio medio cognosci possit, nos tamen terminos ejus ignoramus. Unde Disputationem illam ita claudit, ut dicat, eam propositionem, Deus est, quantum in se est, per se notam esse, quod predicatum idem sit cum subiecto, Deus enim est suum esse, sed quia nos non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, scilicet per esse & sus.*

XI. Contrarium docent Scotistæ. Ipse Scotus

in

in
fun
qua
i, d
qu
not
trin
Th
def
ex
ejus
qui
evi
ma
dit
spic
jus
min
est p
nec
pos
se,
pos
sit p
die
fi n
que
clu
nul
stri
ea,
nor

in 1, dist. 11, quæst. 11, itemque Henr. Gandav. in summ. art. 111, quæst. 11, Occam in 1, dist. 111, quæst. 111, Gabr. ib. quæst. 11, Greg. Arimin. in 1, dist. 11, quæst. 1, art. 11, quibus primo displicet, quod Thomas dixerat, propositionem per se notam esse, cujus prædicatum includitur in intrinseca ratione subiecti. Unde & aliter, quam Thomas fecerat propositionem per se notam definiunt. Scotus: *Propositio per se nota est, quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid ejus, ut sunt ejus, habet veritatem evidentem, & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios, habet evidentiam, sed ex se tantum, ut omne totum est maius sua parte.* In qua definitione vere se pandit τὸ σικρότερον, quamvis raro admodum sit perspicuus. Occamus, ubi supra, talem vocat, ad cuius notitiam causandam sufficit notitia suorum terminorum. Et Gabr. ibid. *propositio per se nota est propositio necessaria, non dubitabilis.* Deinde nec id in sententia Thomæ probant, quod propositionem per se notam dicat aliam secundum se, & aliam quoad nos: nec enim posse esse propositionem per se notam secundum se, quæ non sit per se nota nobis, cum omnis propositio nota dicatur, in respectu ad nostrum intellectum, qui si nullam propositionem cognosceret, nullam quoque propositionem notam esse. Unde concludunt denique, hanc propositionem, *Deus est*, nullo modo esse per se notam, nec respectu nostri, cum negari possit. nec in se & absolute, cum ea, quæ respectu nostri non est, in se nota esse non possit.

XII. Quod igitur tanto molimine extruxerat Thomas, id eodem & majori, quantum in ipso est, oppugnat Scotus, &, quod hic probat, id alteri rursus displicet, ut plane nesciant, quid dicant, & lufum potius ingenio præbere, quam serio rem agere, videri, queant. De quo ut universo orbi constaret, Johannes de Rada, Aragonius, Pactensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ex ordine minorum Reg. observant, assumptus, ingenti volumine, quod de controversiis inter S. Thomam & Scotum conscripsit, ad perpetuam rei memoriam extare voluit. Nec id inter vetustiores tantum, sed & recentiores quoque, ipsosque adeo Jesuitarum coryphæos, Suaresium ac Vasquesium, Hispanos, non sine singulari quodam providentiæ divinæ nutu, ut Tannerus autumat, usu venit, de concursu gratiæ & lib. arbitrii, de prædeterminationibus divinis, operatione & efficacia Sacramentorum, & similibus quæstionibus aliis, qua de re quoque Ludov. Vives, comm. in lib. xviii, Augustini de Civ. Dei, cap. xviii, conquestus est: *Disputant Theologi, inquit, an potentia creandi possit communicari creature, de quo multa Thomas, cujus argumenta nititur infirmare Scotus, ut sua confirmet: que labefactare conatur Occam, ut sum figat, at ista quoque Petrus Aliacensis luxat: usque adeo vel ludunt in re seria, vel affectibus & factionibus suis cogunt rem cælestem subservire: qui mores possunt emendari, qui sedari, & tolli pravi affectus, qui sie-*

ri

*ri divini ex doctrina diffidiis agitata, & tracta ver-
saque sursum pro libito affectuum humanorum, con-
cussa machinis tam pertinaciter litigantium? Ita e-
nim fieri solet, cum, subtilitate magis, quam ve-
ra ac solida eruditione, instructi, ad controver-
sias pertractandas accedunt, ut plerique aliorum
inventis interpolare, iisque nova quædam placi-
ta substituere, malint, quam recte inventis uti,
donec tandem contentione sectarum discordan-
tium multa intricentur magis, quam evolvantur,
ac curiosa nimiaque subtilitate pleraque suffo-
centur. Cujus rei qui longam querelam legere
velit, adeat eundem Vivem, in lib. xi, August.
de Civ. Dei, cap. xi, & Melchiorum Canum,
Episcopum Canariensem, lib. viii, Loc. cap. i,
& lib. ix, cap. i, & ex nostris D. Lutherum,
Tom. i Lat. Jenensi.*

XIII. Etsi autem hæc illi ita inter se dispu-
tent, reperiuntur tamen & alii, qui & ipsi bo-
nam partem in sententiam Thomistarum con-
cedunt. Equidem Ludov. Crocius, lib. iii
Syntagm. Theol. cap. ii, pag. 412, diserte
scribit: *Deum esse, sive actu existere, est qui-
dem per se notum secundum naturam, quia
prædicatum ejus absque medio etiam secundum
rationem subjecto inest, adeo, ut, qui iremi-
nos ejus perfecte intelligit, non possit de veri-
tate illius dubitare, non tamen secundum nos,
quorum notitia a sensibus incipit, quia sub-*

B 1

jecti

jecti ratio nobis, ad Dei cognitionem aspirantibus, adhuc est incognita, imo nunquam in hac quidem vita perfecte innotescit, ideoque non nisi prævio aliquo discursu huic propositioni assentimur. Ita enim Deus nobis nunc ignotus est, sicut nos vermibus, qui intra ventrem nostrum gignuntur, qui ob suam parvitatem & nostram magnitudinem, quod nos simus animalia rationalia, non percipiunt, sed pungunt intestina, & in nobis vivunt, quasi intra corpus exsensus habitantes. Quibus gemina ferme habet Wendelinus lib. I, Christ. Theol. cap. I, thes. II, n. II. *Esse Deum, cum, natura notum esse, dicimus, hoc volumus, hominem ratione sua, quæ post lapsum ei reliqua est, etiam absque speciali revelatione, ex tot creaturarum consideratione posse scire, & scire, Deum esse.* Et mox in respons. ad I. argumentum Socinianorum: *Natura insitam esse homini notitiam Dei, cum dicimus, hoc volumus: Hominem rationis usu pollentem, duce ratione sua, absque speciali patefactione, per solam rerum oculis obviarum considerationem, posse cognoscere, Deum esse, & hoc etiam cognoscere, quicumque rationem & sensus suos exercent.* Idem jam ante quoque Timplerus lib. III, Metaph. cap. I, quæst. IX, docuerat: cum enim quæisivisset, An ullius principii cognitio sit homini innata? Statuitur thesis negativa, respondet. Et lib. IV, cap. II, quæst. II. *Si quæstio, an homini naturaliter sit notum, Deum esse, in secundo sensu intelligatur, quod sit homini innata, thesis illius negativa est vera.* Id enim

eni
sim
ine
sive
edi
voc
non
nec
con
ciu
fiab
ab
par
libi
gi,
inte
gu
den
re p
alia
Y
dun
bus
just
Cer
fibi
nec
dic
III,
qua

enim proprie dicitur actu innatum esse homini, quod simul, ac homo in utero matris est genitus, cepit ipse inesse. Jam autem tantum abest, ut homo infans, sive in utero matris adhuc conclusus, sive in lucem editus, statim actu cognoscat, Deum esse, ut neque vocabulum ipsum, quo Deus in sua lingua materna nominatur, ob rationis infirmitatem intelligat, donec, progressu ætatis, usus rationis per naturam ipsi concedatur. Nec dissentit ab his Matthias Flacius Illyricus, vir cæteroqui longe doctissimus, si absque uno aut altero dogmate, imprudenter ab eo excogitato, & paulo vehementius, quam par erat, propugnato, fuisset. Is igitur, cum a libi, tum præcipue in Clavi Scripturæ, voce legis, f. 563, dicit, notitiam Dei naturalem magis intelligendam esse de potentia, quam actu, seu, magis de ipsa rei sciendæ perspicuitate, aut obvia evidentiâ, quam de hominis perspicuitate, aut etiam vere percepta notitiâ, sicut docti distinguere solent, alia esse, per se, suave natura, alia nobis nota.

XIV. Arminiani in Belgio quid sentiant, nondum certo constat. Cum enim a Professoribus Leydensibus in censura ad confessionem jussi essent sententiam suam eloqui in Examine Censuræ cap. 1, p. 25, adhuc claudicant, & tum sibi non propositum esse, id declarare, tum non necessarium & superfluum esse, ut declaratur, dicunt. Cæterum Simon. Episcopus, Disput. III, privata de cognitione Dei, Corollario II, quærit, *An cognitio Dei sit naturalis* & respondet,

B 3

Distin-

Distinguendum esse. Vorstius quoque, in notis ad Disp. 1 de Deo, p. 128, scribit: *Non existimamus, innatam esse nobis aliquam Dei notitiam: cum, proprie loquendo, nullius rei cognitio homini videatur innasci? sed universa, suo demum tempore per sensum & intellectus operationem acquiri.* Hactenus tamen ita vocari potest, quatenus ope & presidio solius naturæ, h. e. rationis naturalis, & hinc extractæ philosophiæ, homines huc usque pervenire possunt, ut saltem, Deum aliquem esse, suspicentur, quippe quod naturali rationi valde consentaneum est. Hanc sententiam defendit postea in Apolog. cap. 1, p. 1, eaque nihil verius dici posse, ait, cognitionem enim Dei paulatim per sensum & rationis usum acquiri, itaque, proprie loquendo, innatam dici non posse, sed secure asserendum, nec actua-lem, nec habitua-lem Dei notitiam nobis innatam esse. Et, pag. 3, rationes nonnullas affert, quod naturalia simpliciter necessaria sint, & in omnibus specierum individuis aequaliter insint, utraque vero hæc Dei notitia neque re ipsa omnibus hominibus insit, neque, quibus inest, aequaliter bis omnibus insit, siquidem multos olim repositos, atque adhuc reperiri, qui, Deum esse, negarint, multos, qui de eo dubitarint. Et, p. 4, addit, naturalem Dei cognitionem non nisi eatenus admitti posse, quatenus ipsa cognoscendi facultas nobis innata est, quæ deinde ex principiis naturalibus colligat, Deum esse.

XV. Sed ad institutum & Scholasticorum disputationes revertamur. Notetur autem primo,

mo, quæstionem hanc, de propositione per se nota, duobus modis intelligi posse: 1, de cognitione habituali, quæ homini insit per modum habitus naturaliter impressi, sine operatione mentis. 2, de cognitione actuali, quæ a nobis progressu temporis acquiritur, & tum quæri, an sola natura, sine institutione, aut alio externo medio demonstrandi, ad Dei cognitionem acquirendam sufficiat. Et de priori quidem potissimum nobis quæstio est. Deinde & id notandum, propositionem per se notam, seu primam, ita dici, non, prout nobis primo omnium occurrat, sic enim alia forte a nobis prius apprehenduntur; sed ratione cognitionis nostræ, unde & per quod medium nobis innotescat? Tercio observetur, per se notam dici, in respectu ad eam, quæ alio medio extra se opus habet, per quod demonstretur, ipsa vero ex nullo alio, sed vel ex natura, vel propriis terminis, innotescat, Denique addendum & hoc, propositionem per se notam secundum se dici, quæ habet immediatam adeoque per se notam connexionem, ut, si absolute spectetur, sine alia probatione cognoscibilis sit, etsi, ut objicitur nostro intellectui, ejus veritas nos lateat, quemadmodum multa sua natura perspicua sunt, ad quæ nos, sicut verspertiliones ad claram lucem, cæcutimus. His suppositis, dicimus, propositionem eam, *Deus est*, & secundum se, & quoad nos, per se notam esse. Et quidem, si de cognitione

habituali quæstio sit, esse eam una cum reliquis principiis naturalibus mentibus hominum inscriptam, si vero de actuali, ex se & suis terminis apprehendi, & Deum tam notum esse, quam notum est, idem non posse simul esse, & non esse. Et hæc tam manifesta sunt, ut a nonnullis Scholasticis Doctoribus agnoscantur, Alberto in Summ. tract. iii, quæst. lvii, Bonavent. in i, dist. iii, quæst. ii, Argentina, dist. iii, quæst. i, art. iii, Abulensi, in Exod. v, quæst. ii, Lyran. ib. & ex recentioribus Michaelē de Palatio, quæst. v, prolog. nec negare id Greg. de Valent. Tannerus, Pesantius, ac Suarez, possunt, quin iis insuper Anselmum in prolog. Alufiodorensem, l. i, Summ. c. i, Alensem, i, p. q. iii, m. ii, & iii, Aureolum, in i, dist. ii, part. ii, quæst. i, art. vi, adjungunt, qui existimarunt, *Deum esse non solum per se notum, sed & quoad nos. Esse enim nobis divinitatis quandam opinionem a natura inscriptam, ut non possit concipi, Deum non esse.* Hæc isti Doctores, non minoris plerique doctrinæ & auctoritatis, certe vel paræ vel majoris, quam Valentia, Tannerus, aut Pesantius, fuerunt. Quæ uti manifesto cum sententia nostra conveniunt, ita longe ab iis discrepant, quæ reliqui adversarii hac de re docuerunt, uti vidimus. Quin ipse Thomas interdum non obscure in nostram sententiam concedere videtur. Præterquam enim, quod i, ii, quæst. li, art. i, habitum principiorum naturalem concedit, ipse quoque p. i, quæst. ii, cum, art. i, sibi objecisset, *omnibus cognitionem exi-*
bendi

stendi Deū naturaliter esse insertam, ut Damascenus dicat, id autem quod tale est, nobis esse per se notum, respondet ad i, quod, cognoscere Deum esse, in aliquo communi, sub quadam confusione, sit nobis naturaliter insertum, id quod nobis nunc sufficit, neque enim perfectam & omnibus numeris absolutam Dei cognitionem hic propugnamus. Nec Suarez Disp. XXIX, Metaph. sect. III. num. XXXIV, rei evidentia convictus, id negare potest: Addiderim, inquit, quamvis in rigore non sit notum, nobis, Deum esse, tanquam omnino evidens, esse tamen veritatem hanc adeo consentaneam naturali lumini, & omnium hominum consensui, ut vix possit ab aliquo ignorari. Quo loco etiam Augustini, Tertulliani, Cypriani, & Ciceronis testimonia adducit. Sed nunc, quibus argumentis sententiam suam stabiliant, breviter considerabimus.

XVI. Quatuor autem præcipue generum probationibus Thomæ interpretes utuntur, ad ostendendum, eam propositionem non esse per se notam nobis. Et primo quidem id inculcant, quod ea per alia notiora demonstranda sit; ac deinde, quod multi etiam, supposita terminorum cognitione eandem negaverint; propositio autem per se nota quoad nos nec demonstratione opus habeat, nec negari a quoquam possit. Quod autem negetur hodie, negataque jam olim a quamplurimis sit, id exemplo Protagoræ, Diagoræ, Theodori Cyrenaici, aliorumque, manifestum

festum esse, dicunt, Et de Protagora quidem id prodidit Cicero, lib I de Nat. Deorum, & Theodorët. lib. II & VI Græcan. affect. testaturque Laertius in ipsius vita, eum librum conscripisse, cujus initium fuerit, *περὶ μὲν θεῶν ἅν' ἔχω εἰδέναι, εἰδ' ὥς εἶσιν, εἰδ' ὥς ἅν' εἶσιν.* *De diis quidem, neque utrum sint, neque an non sint, possum dicere.* De Diagora idem testantur Cicero ib. Plutarch. lib. I de placit. Philos. cap. VII, Laëtant. lib. I, cap. II, & Suidas. De Theodoro quoque Cicero, & Laertius in Aristippo. Quibus addunt populos Americanos, qui nullum penitus sensum aut suspicionem divinitatis alicujus habeant, idque historiam Indiæ attestari, ajunt. Tertio & id notant, quemadmodum omnia Dei nomina non absoluta sint, sed respectiva, ut ea, quæ causam, Deum, Dominum, creatorem, judicem & similia notant, ita nec nos cognoscere Deum ut Ens absolutum, sed in respectu ad creaturas, quarum sit causa, Deus, Dominus, creator, ac judex. A creaturis itaque incipere nostram cognitionem, per quas postea, subita quadam ratiocinatione & discursu, in DEi notitiam provehamur, adeoque huic propositioni non per se, sed per alia, assentiri. Quarto denique & inde sententiæ suæ præsidium arcessunt, quod omnis nostra cognitio primum a sensu & experientia oriatur, uti & Aristoteles docet, Intellectum enim infantis, quando primum editur, nudæ tabulæ instar habere, hoc est, potentia tantum, non actu, aliquid

aliquid continere, oportere autem prius sensu aliquid percipi, antequam intellectu apprehendatur, cum, sensu mediante, species intelligibiles formentur, sine quibus intellectus fieri non potest, imo, intelligere, nihil aliud esse, quam species intelligibiles suscipere, uti, sentire, species sensuales. Unde & vulgatum illud afferunt, nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Ita isti, propositionem eam ex parte nostra per se notam non esse, probant.

XVII. Verum ad hæc argumenta facile respondetur. Nam ad primum dicitur, 1, falsum esse, propositionem per se notam nobis non debere probari, nam & principia omnium prima aliunde & a posteriori cognosci nihil verar, præcipue cum nobis cum hominibus pertinacibus res sit, nec ideo illa indemonstrabilia, & immediata, aut per se nota, etiam secundum se & absolute, esse desinunt, quomodo Aristoteles contra Heraclitum & alios ipsum omnium principiorum primum, *idem non potest simul esse, & non esse*, negantes, lib. IV Metaph. sibi disputandum, existimavit, 2, observandum, cum per sensum aut inductionem ea principia probantur, non ideo id fieri, quod eorum veritas per se & naturaliter oculos nostros non perstringat, sed, ut ostendatur contra negantes, eos non rationem tantum, sed ipsum etiam sensum communem, exuisse, & cum insanissimis obbrutuisse.

Unde

Unde & , εἰς νόμους merito ablegandos , nec contra eos disputandum, aiunt.

XVIII. Eodem modo & ad alteram rationem respondendum est: nihil enim ab omni parte tam firmum & certum est, quin semper repellantur alii, qui, ex destinata malitia & petulantia quædam, omnia cum Heraclito dubia & obscura reddant. Unde & peculiare olim sed abortivum philosophorum genus extitit, qui id tantum agebant, ut nihil prorsus crederent, & ne id quidem verum videri, quod nihil verum videatur, adeo, ut, cum in foro vapulassent, domum reversi, an vapulassent, ipsi dubitarent. Quorum etiam meminit Seneca, Epist. LXXXIX, *Audi, ait, quantum mali faciat nimia subtilitas, & quam infesta veritati sit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex æquo, & de hac ipsa, an omnia res in utramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, ex his quæ videntur, nihil esse in universum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit, ait, nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui novam induxerunt scientiam, nihil scire. Ita non omnino impossibile est, eo stulticie homines prolabi, ut nullum Deum credant. Sicut enim omnes a natura homines sumus, & tamen nonnulli omnem humanitatem deponunt, ita & Dei noticia in quibusdam, etiam in ipsa Ecclesia,*

ita

ita extingui potest, ut sint athei speculative & ad tempus, hoc est, ut in intellectu certo sibi persuadeant, nullum esse Deum, qui curam gerat mortalium, ut Apostolus quoque docet, Deum in reprobum sensum ethnicos dedisse, ac permisisse, ut mentis hoc magis expertes fierent, quo magis ipsi sanam mentem & notitiam honestatis ultro ante contempserant, & nefarie decoxerant, de quo prolixè videantur Samuel Næranus, in Gymnasio Ultrajectino, & Gisbertus Voetius, in Disput. Augurali. quam habuit d. III, Sept. M DC XXXIV, auspiciis facturus professionis Theologicæ in Gymnasio Ultrajectino, de præjudiciis veræ religionis, in corollariis Theologiæ naturalis, paradoxo II, & in Theriaste Heautontimorumenos. 2. Aliud est ignorantia pura, aliud, malitiosa negatio, seu prava dispositio, cujus causa proxima non ignorantia quædam, sed affectata malitia est, cum id scire non volunt, quod alias, si vellent, possent. 3. Bene est, quod non Thaletem, Socratem, Platonem, Xenophontem, Xenocratem, Speusippum, Zenonem, & reliquos, qui post homines natos extiterunt, masculæ sapientiæ veritatisque vindices ac custodes adducunt, sed eorum loco novos quosdam, & omnibus retro seculis ab ethnicis ipsis oppugnatos, novæ prorsus & prodigiosæ ignorantie magistros, eosque admodum paucos, & vix duos aut tres substituunt, cum nobis non unus & alter, sed universa philosophorum

Scho-

Schola, astipuletur, ut & Lactant. lib. I de falsa relig. cap. II, attestatur. Quemadmodum vero facultas generandi aut ridendi ideo naturalis & omnibus ex æquo communis esse non desinit, quod nonnulli, ejurata sponte seminarum consuetudine, non generent, aut ex morositate quadam non rideant, ita nec Dei noticia naturalis, si in quibusdam petulanter suffocetur. Unde & in hac ipsa causa Chrysost. Javellus, lib. II Metaph. quæst. I, recte ait: *Etiamsi invenirentur aliqui, qui negarent principia primo prima, propter hoc non sequitur, quin sint naturaliter cognita. Nam, quod est naturaliter cognitum, non est necesse, quod verificetur pro quolibet individuo.* 4. Sed nec de atheis, quos producant, res usque adeo liquida est, nec causa ulla est, cur, eos omnem de Deo cogitationem deposuisse, credamus, imo, causa est, cur id non credamus. Certe Socrates, etsi & ipse ab Anyto, Melito, & Lycone, oratore, impietatis accusatus, ac postea ab Atheniensibus ducentis & octoginta sententiis pluribus, quam absolveretur, condemnatus sit, uti id Cic. de Orat. & Laertius, in ejus vita, docent, falsum tamen fuit, & ab accusatoribus ejus confictum crimen, qui optimum senem circumventum volebant. Atque hic præceptoris casus sine dubio ita turbavit Platonem, ut, quod intus de vero Deo sentiret, eloqui non auderet, unde ad Dionysium, Epist. XIII, scribit: *Hinc disces tu scribam ego serio, nec ne. Cum serio, ordior epistolam ab uno Deo,*

*Deo; cum secus, a pluribus. Unde non dicit, si Diis placuerit, si Diis affuerint, sed quod Deo placuerit, Deo juvante, Deus novit, Deus fecit, quemadmodum Theodoret. lib. II de curand. Græc. affect. Bellarm. lib. IV de grat. & lib. arbitr. cap. II, Mor-næus, cap. III de Veritate Christi. Relig. obser-vant. Et sane multitudo & absurditas Deorum gentilium non risu tantum, sed omni detestatio-ne, digna erant. Ecquid enim absurdius, quam, homines pro Diis colere, eosque non tantum bonos, ac bene meritos, sed pessimos etiam, ad-ulteros, fures, homicidas, ipsa etiam bruta ani-mantia, sidera denique, lapides, & ligna? Nec ab-surdiora unquam excogitari poterant, nisi etiam vicia animi & morbos corporis adorassent: nam, feбри Romæ templum exstructum, legimus, & Lavernæ furum deæ. Hæc sunt illa sacra & Diis paganorum, quos cum amplecti nollent philoso-phi, quicunque paullo cordatiores erant, pro atheis & Numinis contemptoribus habiti sunt, & ad cicutam damnati. Sic de Theodoro re-fert Epiphan. in hæres. Massilian. quod dixerit, ἀπορρίπτει τὰς περὶ θεῶν λόγους, *nugas esse, quas de Diis suis ethnici fabulantur*, unde & Hercu-lem ligneum, cum alia ligna deessent, exurebat, per ludibrium subinde ingeminans, *Age, Hercu-les, decimum tertium laborem subiturus, adesto, ob-fonium nobis cocturus*. De Diagora quoque Suidas do-*

do-

docet, ideo eum urbe ejectum, quod Initia, Atheniensium sacra, narraret omnibus ac evulgarer, aliosque, si qui initiari vellent, dehortaretur. Eundem quoque poema suum ita ordiri: *Quod a Numine summo reguntur omnia*, Morn. cap. 1, de verit. Christ. relig. pag. 13, testatur. Neuter ergo verum Deum, sed ethnicorum potius Deastros, ridebat. De Americanis illarum gentium Scriptores, Benzo, Lerus, Mercator, Josephus Acosta, & reliqui, expresse scribunt, eos multos quidem Deos, in iis tamen unum aliquem summum, adorare, quem Peruviani Viracocha, item, Pachacamac, & Pachajachac, Mexicani Hoizoli Pochli, vocant.

XIX. Ad tertium respondetur, 1, non semper Deum considerari ut ens relativum, sed sæpe, ut ens absolutum, sine respectu ad creaturas. Sane, cum cognoscitur ut ens verum, imo, veritas ipsa, quæ est omnium primum & maxime proprium intellectus objectum, item, ut ens summe bonum, sapiens, perfectum, non relative, sed absolute, consideratur. 2, non sequi. nos huic propositioni per alia assentiri, si consideretur Deus cum creaturis, nec enim unquam aut Aristoteles, aut Thomas, illam considerationem terminorum excluderunt, sed propositionem per se notam nobis esse, dicunt, quæ alio medio non constat, sed ex ipsis terminis innotescit, quomodo-
docunque tandem in eorum notitiam penetremus. Secus enim nulla foret propositio per se
no.

nota, ne quidem illa notissima, totum est majus sua parte, termini sunt relativi, nec enim potest esse totum, quod non habeat respectum ad partem.

XX. Quod ultimo objiciebatur, omnem cognitionem esse a sensu, nec quicquam deprehendi in intellectu, quin prius fuerit in sensu, atque hoc ipsum Aristotelem dicere, id partim falsum est, partim nihil ad rem facit. Etsi enim noticia naturalis non parum illustretur per sensum, ut, si infanti totum pomum & aliquam ejus partem monstraveris, sine dubio principium innatum, Totum est majus sua parte, longe clarius ipsi feceris; falsum tamen est, omnem cognitionem per sensum primo invehiri in intellectum. Primo enim nec de Dei, nec Angelorum cognitione id dici potest: Dei enim scientia non fit per discursum, aut transitum de noto ad ignotum, sed simplici rerum noticia constat: Angeli autem cum seipsos cognoscunt, id non fit per species intelligibiles sensibus abstractas; hæ enim ideo fabricantur, ut objectum materiaturum cum intellectu uniant, ipsi autem cum non materiaturum, sed immateriatum objectum sint, opus non habent, ut per species intelligibiles sibi & suo intellectui repræsententur, quemadmodum Thomas, p. 1, q. lvi, art. 1, & Scotus in 11, dist. 111, quæst. viii, Joh. de Rada, part. 11, controvers. inter Thomam & Scotum, controvers. viii, art. 1, probant. Cum vero semutuo cognoscunt, id

C

qui;

quidem fit per species intelligibiles, non quidem ex objectis, aut per sensus, acquisitas, sed naturæ ipsorum concreatas, ut recte iterum Thomas i p. q. lv, art. ii, concludit. Sed nec de omni nostra cognitione id verum est, certe intellectus noster Deum & angelos, semetipsum & animam, itemque res immateriales ac universales, cognoscit, quæ sub sensum directe & per se non cadunt. Ut jam non dicam, quod varum ac prophetarum cognitio non semper sit corporalis, hoc est, fiat per imagines ac species sensibus corporeis objectas, sed vel prorsus sine speciebus intellectualibus, vel per impressionem novarum specierum, ut si cæco nato inderentur species colorum, quomodo Apostoli olim omnium linguarum noticiam adipiscebantur. Unde & Scaliger, Exerc. cccvii, sect. xxi, recte contra Cardanum disputat; *non omnem speciem immitteri aut invehi a sensibilibus, sed quosdam connasci cum animalibus, ut, mellificationem apibus, milvi speciem pullo.* Et mox: *Afflationem quoque pii Philosophi ignovere, unde sunt vates & Sibyllæ.* Et sect. seq. xxii, *Haud alia ratione pullus milvum metuit nec metuit ardeam, nisi, quia connatam secum habet milvi speciem universalem, qua singulares milvi omnes referuntur.* Nihil quoque ad rem facit: nam i, Aristoteles non loquitur de cognitione principiorum communissimorum, quæ ex habitu innato est, sed de ea, qua aliaminus communia & ipsæ scientiæ nobis innotescunt,

&

& hæc a nobis sensu & experientia acquiri, contra Platonem recte disputat, qui, omnium scientiarum ac disciplinarum intelligentiam homini ingenitam esse, asseribat. 2, Soncinas, lib. vii Metaph. cap. xi, iterum duplicem rei cognitionem constituit, & aliam esse dicit habitualem, quæ inest per modum habitus impressi, etiam sine mentis opera, seu, ut ipse loquitur, quando species est in mente, nec tamen intelligitur, ut, cum quis scientiam rei possidet, quamvis actu non contempletur, sed vel domi, vel alias animum occupatum habet: aliam vero cognitionem actualem, cum actu ipso considerat, seu cum intellectus actu per speciem intelligit, de qua recte Aristoteles, lib. iii de an. cap. vii, dicit, *ἡ δὲ πότε νοεῖ ἀνευ φαντάσματος ἢ ψυχῆ. anima sine phantasmate non intelligit.* Etsi a Zabarella, de ordine intell. cap. xi, priorem rectius potentialem dici, existimet, posteriorem tamen iterum distinguit in originalem, quæ sit sine præcedenti habitu; & Habitualē cuius causa est habitus jam in anima præexistens: unde res eodem redit. Nostra vero quæstio non de posteriori, sed priori, seu habituali, intelligenda est. Sed esto tandem, fuerit in hac sententia Aristoteles, in eo tamen non minus ille quam Plato, quem oppugnat, hallucinatur, & cum ipse, libere a præceptoris opinione recedere, atq; aliam substituere sibi licere, existimaret, certe nec in nobis reprehendendum fuerit, si eum hac in parte linquamus,

nec id sine præstantissimorum virorum exemplo. Utenim alios mittamus, certe David Rungius in Disp. super caput i. ad Rom. part. iv, expresse scribit: *Ersi quidam philosophorum affirmant, mentem hominis similes esse tabulæ, in qua nihil sit scriptum, possint autem inscribi omnia; tamen doctrina Ecclesiæ & experientia ipsa contra docent, superesse aliquas in mentibus humanis notitias, ex ipsa natura haustas, ac proinde omnibus hominibus notas.* Eodem modo Leonh. Huttenus. in Loc. de Lege: *In defectu peccant, qui, notitiis naturalibus simpliciter negatis, naturam humanam rase tabulæ comparant, cui nihil sit inscriptum, omnia tamen inscribi possint, i. e. qui omnis de Deo, rebusque divinis notitiæ sit expertus.* Quibus denique addimus Cl. Sperlingium, quem, ut magistrum ac præceptorem hac in parte, merito veneramus. Is igitur, cum, cap. iii. Anthrop. qq. viii & ix, multis demonstrasset, non omnem cognitionem a sensibus esse, sed aliquam a natura, addidisset etiam, illud πολυθεύλλον de notitiis acquisitis, non innatis, loqui, subiungit tandem: *Aristotelem hominem, eundemque ethnicum, fuisse, ac multis errandi occasionem præbuisse, non igitur, contempta natura, ad eum, ceu normam aliquam, confugiendum esse.*

XXI. Sed paullo pluribus sententiam Scholasticorum & aliorum hucusque exposuimus, tum, ut ostenderemus, quid illi hac de re doceant, tum etiam, ut eo rectius & facilius vera sententia

centia intelligeretur, & cognosceretur: restat nunc, ut hujus veritatem porro quoque demonstremus, & ab adversariorum objectionibus vindicemus. Etsi autem multæ rationes in promptu sint, quibus, tam a veteribus, quam recentioribus, illa optime asserta fuit, opus tamen non est, multa argumenta hic congerere, & adversariis non modio sed toto horreo admeriri: sufficiat nobis, si uno aut altero legitime ac sufficienter fuerit probata.

XXII. Ut vero eo rectius omnia intelligantur, tria adhuc notanda sunt. Unum est, quod duplex sit notitia Dei naturalis, quoad modum inellendi, una Innata, quæ & ἐμφυτὸς appellatur, & altera acquisita, seu, ἐπίκτητος. Illa est, quæ non per discursum, aut magno labore, a nobis acquiritur, sed ipsi naturæ ac mentibus nostris in ipso ortu impressa est, etiam tum, cum ratio sese nondum exerere potest. Acquisita vero, juxta Gabr. dist. xiv, q. un. art. ii, est, cum potentia cognitiva, ex accurata rerum creaturarum contemplatione, vi discursus naturalis, cognoscit, tum Deum esse, tum alia etiam, quæ, ductu naturæ, vel de Deo, vel aliis rebus, naturaliter investigari possunt. Deinde utraque hæc cognitio, tam Innata, quam acquisita, iterum duplex est; Alia confusa, cum confuse cognoscimus rem, etsi ejus condiciones, causas, naturam, ac definitionem, ignoremus; Alia distincta, cum non tantum scimus, rem

esse,

esse, sed & ejus naturam & causas penetramus, vel, ut Thomas, 1 p. q. lxxxv, art. iii, definit, *cognitio Distincta est, per quam distincte & determinate res cognoscuntur*, hoc est, secundum omnes suas essentielles partes: Confusa vero & imperfecta scientia, *per quam sciuntur res indistincte sub quadam confusione*. Fatemur autem ultro ac perlibenter, omnem nostram cognitionem, quæ nobis in hac vita naturaliter de Deo competit, oppido imperfectam esse, & vix umbram aliquam Dei continere. Intellectus enim noster, qui valde imperfectus, objecto infinito perfecte non adæquatur, nec concipit illud, sicut in se est, sed tanquam in speculo ac ænigmate, ubi nimium quantum deficit! Accedit, quod alias quoque præceptis in lapsum, & infinitis erroribus, uti nunc tempora sunt, obrutus sit, quemadmodum non tantum experientia testatur, sed & ipsi ethnici non raro observarunt. Aristoteles certe, ita cæcutire mentis nostræ aciem ad res divinas, uti oculi noctuarum ad clarum lumen solis, non uno loco agnoscit, & S. Thomas *veritatem de Deo, per rationem investigatam a paucis, & per longum tempus, & cum admissione multorum errorum homini provenire, absque revelatione divina si fuerit*, part. i quæst. i, art. i, asserit. Concedimus & hoc, cognitionis nostræ certos esse gradus, ita quidem, ut principia illa innata longe clariora & distinctiora sint in adultis, quam in infantibus, qui cum rationis usu desti-

destituantur, actum secundum exercere nondum possunt. Tertio denique cognitio alia est Actualis, & alia Habitualis, de qua paullo ante, N. xx, egimus.

XXIII. His ita explicatis, utramque Dei cognitionem, tam Innatam, quam Acquisitam, demonstrabimus, & Innatam quidem tribus argumentorum generibus: primo ex principiis practicis, omnium consensu hominum cordibus inscriptis. Inprimis certum est, naturalia quædam principia de discrimine honestorum & turpium hodieque superesse, quorum ductu ethnici non tantum noverunt, sed & quadantenus fecerunt, quod legi Dei consentaneum erat, & vitia contra, fornicationem, avaritiam, perjurium, nequitiam, & similia, illicita & morte digna censuerunt, quemadmodum id ex singulis Decalogi præceptis Philipp. Melanchthon, in Locis, tit. de Lege Naturæ, prolixè demonstravit. Unde tam præclare quoque Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca, Epictetus, de virtute, ac honestate, alique, quæ ad vitam recte ac ordine instituendam faciunt, disputant, ut multis Christianis ea in re palmam præripiant. Nec tantum id agnoverunt, vivere flagitiose ac pessime, in vitio esse, sed & cupere ea, quæ honestati adversantur. *Latro est, etiam antequam manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit.* Seneca dicit, lib. v de Benef. cap. xiv, Et apud

Cic. lib. iii de Finib. M. Cato: *Ut peccatum est, patriam prodere, parentes violare, sana depeculari, quæ sunt in effectu; sic timere, morere, in libidine esse, peccatum est, sine effectu.* Prorsus ut B. Ambrosius, Serm. i in Psalm. cxviii, libidinosum compellat: *An putas, tunc primum te intrare meritorium, cum fornicem meretricis ingrederis? Intraſti jam, quando cogitationes tuas meretrix intravit. Intraſti jam, quando ad potiendam prostibuli cupiditatem gressu mentis intraſti. Pulsaſti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiscenda decorem oculos mentis aperuiſti.* Idem Seneca, Epist. x, ea tantum, quæ honesta licitaque sunt, a Deo petenda esse, ex Athenodoro docet: *Tunc ſcito, inquit, te omnibus cupiditatibus ſolutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam. Nunc enim quanta dementia eſt hominum? Turpiſſima vota Diis inſuſurrant: ſi quis admoſerit aurem, conticeſcunt, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant. Qui & totam epiſtolam egregia ſententia, & digna prorſus, ut omnium cordibus inſcribatur, concludit: Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: Sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. Non hauſerunt autem iſta vel ex revelatione prophetis & apoſtoliſ facta, quæ paucis eo tempore nota fuit, nec ex institutione ac traditione majorum, qui non raro pejores, quam poſteri, fuerunt, ſed ex ipſo naturæ lumine deprompſerunt, quam ob cauſam Ariſtoteles δῖνατον Φυſικὸν, juſ naturale, & δῖνατον τῆ φύſεω, juſ natura*

natura constitutum, docet. Ex quibus ita argumentor: Qui natura ea, quæ legi consentanea sunt, facit, ille actionis suæ principium, secundum quod illa instituenda est, seu, legem ipsam connatam, habet: nam legis observatio supponit ejusdem cognitionem: Sed ethnici: E. Porro: Qui principia practica connata habet, ille principia theoretica non potest prorsus ignorare, sunt enim conjuncta. Sed Ethnici. E. Item; Qui legem Dei Natura inscriptam habet & novit, ille & legis auctorem, qui Deus est, cognitum habet. Sed Ethnici legem Dei natura inscriptam habent, uti ostensum. E. Et certe non minus egregie de Deo ejusque cultu loquuntur, quam, cum supra de vitæ honestate disputabant. Socrates sane, cicutam bibere maluit, quam absurdam illam & execrandam gentiliū theologiam non ridere, ac detestari. Epictetus quoque, in Enchiridio, cap XXXIIX, religionis illud præcipuum esse, ait, *rectas de Diis habere opiniones, ut sentiamus, & esse eos, & bene justeque administrare universa.* Et Seneca, lib. VII Natur. quæst. cap. XXX, ex Aristotele docet, *nunquam nos verecundiores esse debere, quam, cum de Diis agitur. Si intramus templa composui, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestæ fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum natura, disputamus, ne quid temere, ne quid imputenter, aut* igno-

ignorantes, affirmemus, aut scientes mentiamur?
 Hæc ille, quibus vix præclarius quid afferri ea
 in re ab homine ethnico poterat, nisi Plato ube-
 rius adhuc ea persecutus fuisset, qui, lib. II de Le-
 gibus, *Deum malorum causam esse, neque dicen-*
dum omnino in sua civitate, nec permittendum, di-
 cit, *ut a quoquam audiatur, sive ille junior, sive se-*
nior sit, sive carminibus hæc inferantur, sive soluta
oratione narrentur, tanquam, quæ neque dictu san-
cta sint, neque nobis utilia, neque inter se consona.
 Reliquæ non minus insignes ac prorsus Chri-
 stianæ ætatis, quia prolixiores sunt, apud eum
 potius legantur. Atque hoc prius argumen-
 tum est.

XXIV. Alterum ex Conscientiæ testimonio
 defumitur. Hæc est quasi præco quidam legis
 naturæ, ostendens homini, quid illiconsenta-
 neum aut dissentaneum sit, quid item amplecten-
 dum, aut fugiendum, judicans de bene aut male
 gestis, quorum homines sibi consciï sunt, omnes
 denique adus nostros ad legem Dei, ceu ad a-
 mußim, exigens. Et quidem recte facta tacite
 secum approbat, & laudat, scelera accusat, repre-
 hendit, & tanquam poena quædam perpetuo
 oculis hominum obversatur,

-- -- *multo se viior illis,*

Quas aut Cæditiis gravis invenit, aut Rhada-
mantus,

Nocte dieque suum gestare in pectore testem,
 ut Poeta canit. Hæc accusator ac testis, iudex
 item

item ac carnifex est , hæc hominem non aliter persequitur , ac si furiarum verberibus , tædisque ardentibus , interdium ac noctu , domi forisque agítaretur. Neque vero docti aut sapientes tantum ista deprehendunt , sed & abjectissimi & de fece vulgi , qui , omnis cultus ac disciplinarum expertes , in silvis , instar belluarum degunt , potentes , impotentes , docti , indocti , summi denique , infimi , & medioximi , uti non tantum experientia , sed etiam exemplis Judæ , Neronis , Dionysii Tyranni , Caligulæ , & aliorum , constat. His λογισμός vero , seu , rationis iudicium , approbans bene facta , & accusans improbitatem , argumento est , homines & legem nosse , quam violarunt , & iudicem , qui punire possit , si velit , quemque illi propterea tantopere extimescunt. Unde iterum argumentur : Qui naturale dictamen ac iudicium habent de bene aut male factis , illi naturaliter quoque habens legis alicujus & iudicis , seu Dei punientis aut approbantis , cognitionem. Sed omnes homines , ipsi quoque Ethnici id habent. E. Major probatur , nam terrores illi conscientiæ vel ab ipso homine , vitia sua detestante , sunt , vel ab alijs , vel a Deo. Non illud , quia homo naturaliter alias vitia sua excusat. Non istud , nam & tum sæpe sentiuntur , cum scelera occulta sunt , vel potentia adversus humana supplicia nocentem munit. Quid ? quod humana supplicia , ultro ac sponte non raro exposcant , aut sibi metipsis sæpe manus violentas infere-

inferant, majus certe aliquid humana ira ac supplicio extimescentes. Ergo hoc. Respondeitur Poeta: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Et Menander: *ἑρῶ τοῖς ἀπασιν ἡ συνείδησις θεός.* *Cunctis hominibus conscientia est Deus.* Si quis dicat, homines non Deum duntaxat, sed quamlibet vim superiorem ac fortio rem, imo ipsum Diabolum, ne noceat, formidare: id nihil ad nostram Andromachen: nec enim de quolibet metu, sed eo, qui conscientiam affligit, quaestio est, certe vis illa superior, cui de male admittis ratio est reddenda, nec homo nec Diabolus est, sed unus & solus Deus.

XXV. Accedat denique communis omnium Gentium Consensus: adeo enim omnibus, quorum memoria extat, seculis in eo consensere terrarum populi, ut crederent aliquod Numen extare, quod esset colendum, ut plerique eorum maluerint homines, belluas, astra, plantas, & lapides, pro Diis colere, quam nullam prorsus religionem habere, certe negantes, non tantum sanæ mentis non esse, sed & sensu ac ratione carere, dicant. Et hac in re *Græcum cum barbaro, mediterraneum cum insulano, sapientem cum stulto consentire*, Maximus Tyrius, differrat. i, ait: Cicero quoque, lib. i de Nat. Deor. *nullam gentem aut genus hominum esse*, existimat, *quod non ὑπὲρ ληψιν*, seu, ut Epicurus vocat, *πρόληψιν*, anticipationem quandam de Deo habeat, & lib. II, porro id tam perspicuum esse, ait, ut, id qui negat,

vix

vix f
tant
cunq
Julia
sed in
blich
mat
sum
affer
& m
in ca
insti
pren
dan
dum
agn
plan
can
Ei f
quo
tius
Loc
de c
bui
legi
opu
&
ἐδν
ex

vix sanæ mentis esse, dicat. Et Avicenna, non tantum ratione, sed & sensu, carere, faretur, quicumque Deum aut Numen aliquod non agnoscunt. Julianus autem, apud Cyrill. lib. II, ait, non bauriri, sed innasci nobis, notionem Dei, quod ipsum Iamblichus quoque, in primo de myst. Ægypt. affirmat, illam Deorum notionem etiam ante omnem usum rationis naturaliter insitam esse, videturque asserere Damascenus, lib. I de Orthod. fide, cap. I & III, Ipse quoque B. Lutherus noster, comm. in cap. XVII Genes. Hunc sensum, inquit, naturali instinctu etiam gentes habent, quod sit aliquod supremum Numen, quod colendum, invocandum, laudandum, ad quod in omnibus periculis confugiendum sit, sicut Paullus dicit Rom. I, v. 20, 20, gentes agnovisse Deum natura. Hæc enim notitia divinitus plantata est in omnium hominum animis, quod vocant Deum auxiliantem, beneficum, placabilem. Etsi in eo postea errarunt, quisnam ille Deus sit, & quomodo velit coli. Tandem Martinus Chemnitius, doctissimus sine dubio Theologus, tum in Locis Theologicis passim, tum vero in iudicio de controversiis quibusdam, contr. IV, Tribuit Apostolus gentibus non renatis iustitias legis, quas nascentes secum afferant, cum inquit: opus legis scriptum esse in cordibus eorum, & quod de DEO cognosci potest, Oavēgōv ἐστὶν ἐν αὐτοῖς. 2, rationem Syllogisticam, quæ ex operibus creationis aliquo modo potest colligi-

colligere invisibilia Dei, 3, quod natura possunt facere opera legū. Hæc sunt manifesta, & sicut Augustinus inquit, aliquid, ad seipsum persuadendum, sine prolixis argumentationibus valere debet ipsa evidentia. Mera igitur petulantia est, concludit, usitatam sententiam de principiis & notitiis naturalibus convellere. Hinc iterum argumentor: Omnis effectus communis habet etiam causam communem. Sed notitia illa de Deo est talis effectus, Ergo communem causam, qualis ipsa natura hominum est, habeat, necessum est. Audiamus iterum Senecam, Epist. CXVII. præclare prorsus de hoc ipso argumento differentem, Multum, inquit, dare solemus presumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam, Deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio infusa est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat. Ciceronis quoque vox est, in i. Tusc. quod omnium gentium consensus sit instar legis natura putandus.

XXVI. Atque hæc hætenus de Notitia Dei Innata sufficiant, de qua prolixius paullo ac uberius disputavimus, tum, quia hæc maxime controverfia hodie est, tum etiam, quod ex eius accurata explicatione notitia acquisita maximam partem dependet, adeo quidem, ut, illa asserta de hac litigari amplius vix queat, nisi, quod in eligendis rationibus, quibus eam probare solent, non-

non
fica
cont
giun
est, u
nim,
que
falis
prob
non
cap.
mot
strav
men
gnan
verb
firm
cere
quæ
ris, p
addu
men
mus
mot
ad ca
ferri
parti
mot
non
supp

nonnihil discrepantiæ sit, dum alii quidem physica argumenta præ metaphysicis laudant, alii contra reiectis physicis ad metaphysica confugiunt. Quæ controversia tamen ita comparata est, ut, quod caput rei est, non evertat: sufficit enim, si recte ac legitime ea astruatur, quibuscunque tandem argumentis id fiat: sæpe enim ex falsis quoque verum efficitur, non quidem, ut probetur, cur res sit, sed tantum, quod sit, sicut non tantum docet Aristoteles, lib. II prior. Anal. cap. II; sed & ipse, lib. VIII Physic. cap. VI, ex motu orbium coelestium, angelos esse, demonstravit. Negari autem non potest, ea sæpe argumenta allata ab auctoribus esse, quæ, sicut magnam probabilitatem habent, cum ad populum verba fiunt, aut alias id, de quo quæstio est, aliis firmioribus rationibus est demonstratum, ita cerebroso adversario vix satisfecerint, uti sunt, quæ Scholastici ex ordine prioris & posterioris, perfectio & imperfecto, possibili & similibus, adducunt. Non igitur, omissis illis, duo argumenta in hac causa ex ipso Aristotele profereamus & urgebamus, unum Physicum, a motu ad motorem, & alterum Metaphysicum, ab effectu ad causam, quibus vix meliora & efficaciora afferri ea in re poterunt: nihil enim est, quod apertius & efficacius de causa sua testetur, quam motus, qui cum sit ens successivum, a seipso esse non potest, sed semper causam a se distinctam supponit. Unde & a S. Thoma, I p. q. II, art. III, mani-

mani-

manifestior via dicitur, & primo loco collocatur.

XXVII. Primum igitur argumentum ex Motu desumitur, ex quo Philosophus, lib. VIII Physic. & lib. XII Metaph. unum aliquid inter omnia mobilia & moventia primum, quodque a nullo alio moveatur, deducit. Id ut faciat, duas ante omnia hypothesas (terciam enim, de motus æternitate, nunc non attingemus) supponit. Prima est, Quicquid movetur, id ab alio aliquo moveri, nihil a seipso, quam quidem Aristoteles, lib. VII Physic. cap. I, & lib. VIII, cap. IV, satis demonstravit. Ratio triplex afferri potest, prima, quod quicquid movetur, id eatenus, quatenus movetur, potentia sit, & quicquid movet, actu. Quemadmodum autem nihil actu & potentia simul esse respectu ejusdem potest, ita nec idem simul movere & moveri. Altera ratio est, quod, juxta ordinem a Deo constitutum, moventia particularia ita dependeant ab universali, ut, sicut non habent esse a se, sed a causa universali, ita nec virtutem movendi a se habeant, sed ab alio superiori. Tandem, quod etiam in moventibus particularibus unum ab alio, eoque primo in isto ordine, ita dependeat, ut inferius sine superiori esse & moveri non possit, uti, cum pueri trochum flagello circumagunt, trochus movetur a flagello, flagellum a mano, manus iterum ab homine, & hic denique ab insita virtute locomotiva, quæ est prima in hoc genere causarum. Secunda hy-

po-

pot
tunc
nihil
re,
om
mo
Qu
sub
mn
que
di a
niti
pot
X
Ph
mo
mo
At
vet
tur
mo
ab
bili
ver
po
ver
set
get
alic
vel

pothesis Aristotelis est, quod series illa moven-
tium in infinitum procedere nequeat: Hæc e-
nim non movent, nisi moveantur a primo, qua-
re, si id, quod movet, simul quoque movetur,
omnia entia erunt mobilia, nullum primum im-
mobile, ac proinde nullus quoque motus.
Quemadmodum, si in causis per se essentialiter
subordinatis non daretur aliqua prima, sed om-
nes essent mediæ ac instrumentales nulla quo-
que esset actio. Nam causa inferior vim agen-
di a superiori habet, quæ, si nulla est, aut in infi-
nitum abit, vim suam aliis communicare non
potest, cum infinitum pertransiri nequeat.

XXVIII. His suppositis, tandem concludit
Philosophus, esse aliquod primum movens im-
mobile, quodque a nullo alio moveatur, hoc
modo: Quicquid movetur, ab alio movetur.
Atqui cælum movetur. E. Illud vero, a quo mo-
vetur cælum, aut mobile est, quod ab alio move-
tur, aut immobile. Si hoc, datur ergo primum
movens immobile. Si vero mobile est, iterum
ab alio movetur, eoque vel mobili, vel immo-
bili. Si ab immobili, iterum illud primum mo-
vens concluditur. Si autem moveri & hoc
posset, sive totum, sive secundum partem, mo-
veretur iterum ab alio, & ita ipsum nondum es-
set primum movens. Atque hoc modo per-
gendum est, usque dum deveniamus ad unum
aliquem primum motorem immobilem, nisi
vel in circulo commeare, vel in infinitum abire,

D

veli-

velimus, quod utrumque absurdum est.

XXIX. Alterum argumentum non nostris, sed D. Thomæ, verbis proponemus. *Secunda via*, inquit, *est ex ratione causse efficientis. Invenimus enim, in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium; nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile. Non autem est possibile, quod in causis efficientibus procedatur in infinitum: quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, & medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum tantum: remota autem causa, removetur effectus: ergo, si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum, nec medium. Sed, si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens, & sic non erit nec effectus ultimus, nec causse efficientes media, quod patet esse falsum. Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant. Argumentatur Thomas ita: Omne ens, quod est in mundo, aut est a se & a nullo alio productum, aut est ab alio: alterutrum enim illorum, cum contradictoria sint, omni enti convenire, necessum est. A se esse non potest, alias enim esset causa efficiens sui ipsius, esset seipso prius & posterius, esset, & non esset, quod æque absurdum est ac, si quis diceret, alios seipso generare posse. Si vero ab alio productum est, tum denuo argumentor: Illud, a quo reliqua entia pro-*

producta sunt, vel a seipso, seu a nullo, est, vel ab alio: Si hoc, iterum pergo quærere, num & illud ens a seipso vel ab alio sit, donec vel in infinitum absurde fiat progressus, vel deveniatur tandem in investigatione caussarum efficientium ad causam aliquam primam, a qua reliqua entia omnia sint producta, ipsa vero a nulla alia, sed a se, sit, & independens.

XXX. Atque hoc modo Deus ipse nos argumentari jubet, dum, ex effectu causam, ex creaturis creatorem, agnoscere posse, ait. *Interroga, quæso, jumenta, & docebit te illorum quodque, aut volucrem cæli, & indicabit tibi, aut confabulare cum terra, & docebit te, etiam pisces maris enarrabunt tibi. Quis non cognovit ex omnibus istis, magnus Jehovah facere illud?* inquit Job. xii, 7, 8, 9. Apostoli quoque Iconienses ad unum & verum Deum ablegabant, *qui fecit cælum & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt, quique non passus sit, se esse expertem testimonii, bona tribuendo, dans cælitus pluvias ac præstituta tempora fructibus perferendis, replens cibo ac delectatione corda hominum* Act. xiv, 15, 17. Unde & Sancti Patres, cum contra πολυθεότητα ethnicorum disputant, imo ipsi quoque ethnici, hoc argumentum magnificiunt. Ambrosius, comm. in cap. i ad Rom. *Deus, qui natura invisibilis est, ut a visibilibus posset sciri, opus fecit, quod opificem sui visibiliter manifestaret: ut per certum incertum sciretur, & ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impossibile est fieri. Potuerunt ergo cognoscere, sive cognoverunt*

ultra omnem creaturam esse illum, qui ea fecit, quæ nulla creatura facere vel destruere valet. Augustinus Serm. LV de verbis Domini: Viderunt huius seculi philosophi, quantum ab homine videri potest: creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum. Irenæus quoque, lib. II contra hæreses, cap. IX, Ethnicici didicerunt, esse Deum ab ipsa conditione rerum. Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eam, & ipsa factura suggerit eum, qui eam fecit, & mundus manifestat eum, qui se disposuit. Quibus similia, adeoque gemella istis, apud Clement. Alexandr. in Protreptico, Tertull. cap. XVII Apolog. Lactant. lib. I Institut. divin. cap. II, & III, Athanas. Orat. contra idola, Augustin. lib. VIII de Civit. Dei, cap. VI, Damasc. lib. I de Orth. fide, cap. I, Platonem, Aristotelem, Senecam, Ciceronem, aliosque, leguntur. Sic ergo Notitia Dei Naturalis ex Creaturis, & ipsis quoque Ethnicis, ostenditur.

XXXI. Tam firma autem & clara hæc argumenta sunt, ut non nisi illis obscura esse possint, qui, noctuarum instar, a Sole ad caliginem oculos convertunt. Reperiuntur nihilominus nonnulli, qui ipsi, etsi notitiam Dei naturalem ex creaturis agnosci posse concedant, negant tamen, id his aut similibus argumentis confici posse. Quidam enim argumentum Metaphysicum satis efficax dicunt, quo proposita quæstio demonstretur, alii, isto rejecto, Physicum ample-

plectuntur. Et Physicum quidem argumentum, ex motu depromptum, Suaresius, Disp. xxix Metaph. sect. i, n. xi, ideo rejicit, quod unus primus motor inde non concludatur, cum fingere liceat duos motores sibi invicem succedentes. Paulo aliter Ludov. Crocius, lib. iii Syntagm. cap. ii, pag. 421, *Quicum Aristotele ex hoc probant, esse Deum, ii gemino laborant paralogismo. Primo, quia assumunt, omne, quod movetur, ab alio distincto separatoque moveri motore, quod non est verum, nisi in violenter & arte motis. Que enim a natura moventur, internum motus sui principium habent. Secundo, quia probant ex eo, quod motus aternus sit, Deum esse, quo negato, Deus non erit. Negatur autem tum in Schola Cbristi, tum a multis philosophis. Tandem & alii, etsi, inquiunt, concedatur id, quod immediate intendit conclusio, dari aliquam causam primam, ac summum motorem, non sequi tamen, hunc esse Deum, qui sit unus, aternus, infinitus, incorporeus, sed vel individuum aliquod vagum ac incertum, quod possit esse cælum, aut aliud corpus, vel & ipsam quoque fortunam.*

XXXII. Ita illi ad nostra argumenta, quibus noticiam Dei acquisitam confirmavimus, excipiunt. Ad quæ in genere dicimus, etsi unumquodque illorum per se sufficienter evincere id nequeat, sufficere tamen posse, si utrumque conjungatur. Deinde & in specie ad Suaresii exceptionem respondemus, i, recte eum dicere, quod duo motores fingantur: nec enim ullum

fundamentum afferre licet, unde, duos motores certo statuendos esse, evincatur. 2, ne quidem duos fingere licet, cum motus ille tam continuus & regularis sit, qui non nisi unum motorem admittit, ut recte Aristoteles, lib. viii *Physic.* ostendit. Et sane qui summus motor est, nequit esse, nisi unus, cum plura summa esse non possint. 3 tandem, si sunt duo motores æque primi (demus enim tantisper) erunt quoque plures, iique infiniti: quæ enim in duobus individuis multiplicantur, ea in infinitum quoque extendi possunt. Quæ si rectius cogitasset Suarezius, argumentum hoc tam imprudenter non rejecisset. Cæterum Crocii exceptio plane levis est, & exigui momenti. Nam 1, quædam moventia sunt particularia, quorum unumquodque movet, cum dependentia ab alio, usque ad primum in eo genere ac ordine causarum; quoddam vero est universale, a quo reliqua omnia, ipsum vero a nullo alio movetur. 2, quædam moventur per se, quædam per accidens: hæc sunt, quæ, etsi, per se sumpta, non moveantur, cum aliis tamen mobilibus conjuncta, ipsa simul moveantur, ut cum eo motu, quo formæ animatum movent, ex accidenti & ipsæ cum animato moventur. 3, denique, motus alius est physicus & proprie sic dictus, alius autem metaphysicus, & improprie talis, qualis in resultantibus naturalibus & actionibus immanentibus est, uti sunt, actio intellectus, voluntatis, & similes. Etsi autem moventia

ventia particularia in eo genere caussarum, itemque ea, quæ per accidens moventur, & actiones immanentes, distinctum & separatum motorem non semper exigant, id tamen in motu physico, & illis rebus, quæ per se moventur, semper ac ubique locum habet. Tandem ad ultimam exceptionem respondemus, 1, aliud esse, probare, Deum esse, & aliud, eum esse infinitum, æternum, incorporeum. Hoc pertinet ad Quæstionem, Quid sit, de qua non agimus; ad Quæstionem vero, An sit, satis est, si proberur, istos conceptus, quos imperfecte & confuse de Deo formamus, non esse falsos, & commentitios, sed revera aliquod ens esse in rerum natura, quod illis respondeat. 2, non admodum difficulter quoque probari potest, causam illam summam ac primam, Deum esse, itemque æternam, independentem, infinitam. Velenim causa illa Deus est, vel aliquid infra aut supra eundem. Si infra Deum est, non est causa summa; si supra Deum est, tum Deus non recte vocatur Deus, qui aliquid se prius ac superius habet. Similiter probamus, æternam esse, quia summa est, & a nullo alio: quod enim est, & a nullo alio est, id nunquam coepisse oportet. Eadē ratio est de infinitate: si enim summa est, tum erit aut finita, aut infinita, si finita, erit ab alio producta, & sic non erit summa. Tandem, si est summa causa, erit independens, cū id, quod dependet ab alio, non possit esse summum. Et hanc demonstrationem,

D 4

a Phi-

a Philosophis ipsis factam, Augustinus, lib. viii de Civ. Dei, cap. vi, indicat, quod & a Lombardo, lib. i dist. iii, adducitur. *Viderunt, inquit, Philosophi, quos ceteris non immerito fama atque gloria præclaros videmus, nullum corpus esse Deum, & ideo cuncta corpora transcendunt, quærentes Deum: viderunt, quicquid mutabile est, non esse summum Deum, & ideo omnem animam mutabilesque spiritus transcendunt, quærentes summum Deum. Deinde viderunt, omnem speciem in quacunque mutabili, qua est, quicquid illud est, quomodo & qualiscunque natura est, non esse posse, nisi ab illo, qui vere est, quia & incommutabiliter est. Quæ cum prolixè persecutus esset, tandem circa finem capitis concludit: Cum igitur in eorum conspectu & corpus, & animus, magis minusque speciosa essent, & si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt, esse aliquid, ubi prima esset incommutabilis species, & ideo nec comparabilis, atque, ibi esse rerum principium, rectissime crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent.*

XXXII. Denique, quod de fortuna subjiçiebatur, id minime omnium sequitur. Nam i, ipsi philosophi fatentur, omnem causam per accidens, quales sunt fortuna & casus, reducendam esse ad causam aliquam per se, qua ratione & hic ad causam primam deveniendum est. Certe Aristoteles, cum probe sciret, nullum effectum sine causa esse, lib. ii Physic. fortunam ad confluxum

fluxum caussarum nobis occultarum reducit, quas tamen a primo motore dirigi, non inficiatur. Unde male Picolomin. grad. viii Phil. Moral. cap. xlii, Aristotelem fortunæ Deum præfecisse, negat. Etsi enim, respectu nostræ ignorantæ & caussarum determinatarum, dicatur aliquid fieri fortuito, Dei tamen respectu nihil fortuito evenire potest. 2, si ex qualitate effectuum cognoscitur indoles caussarum, si item effectus toto genere non est deterior sua causa, certe non potest tam præstans & pulcherrimum omnium sine dubio opus fortuito existere. Quo ipso argumento Plutarch, lib. de placit. Philosoph. nonnullos oppugnat: ὁ δὲν τῶν καλῶν εἰκὴ, καὶ ὡς εὐτυχῆ, γίνεται, ἀλλὰ μετὰ τινὸς τέχνης δημιουργήσεως, nihil pulchri temere ac fortuito nascitur, sed ab arte aliqua producitur. Et Cic. lib. ii de Divinat. *Esse præstantem aliquam eternamque naturam, & eam suspiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum celestium cogit confiteri.* Quo provocat etiam Ludov. Vives comment. in lib. XI August. de Civit. Dei, cap. iv, ubi, cum Augustinus dixisset, *exceptis propheticiis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus & factum se esse, & nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat: ipse ad hæc notat: Casu aut fortuito, credibile non est,*